

Vk
1770

h. 1770

A D
ORATIONEM ANNIVERSARIAM,
IN
MEMORIAM
ILLUSTRIS ATQUE EXCELLENTISSIMI
DOMINI
AVGVSTI IVSTI,
ANCELLARII

EPISCOPATUS MERSEBVRGICI QUONDAM GRAVISSIMI
SPLENDISSIMI

FUTURO DIE MARTIS D. XXI. JUN. MDCCLXIX.

HOR. VIII. MATUT. AB SE HABENDAM

OFFICIOSISSIME ET HUMANISSIME INVITAT,

SIMULQUE


DE

DEDONE, TERTIO MARCHIONE NONDUM
HÆREDITARIO IN LUSATIA SUPERIORI

EXPONIT

ADAM DANIEL RICHTERVS.

Gymnal. Direct.



ZITTAVIAE LITTERIS KÜHNIL.





Dedo, tertius Marchio in Superiori Lusatia nondum hæreditarius, Comes natu *Wettinensi*, *Tiderici*, qui Comitatum in *Ileburg* et potestatem super pagum *Suselitz*, nec non Comitatum inter *Wipperan* et *Salam* et *Saltam* et *Willebske* fluvios situm, atque etiam Burgwardum *Zurbizi* obtinuit, et Marchio secundus in Lusatia Superiori nondum hæreditarius fuit, in *Annalibus* autem *Hildesheimensibus* ad annum 1034, quum a militibus *Eccardi* secundi, fratris suæ uxoris, occisus esset, Comes *Orientalium* dicitur, filius secundus non solum Marchiam *Hudonis* vel *Odonis* sine prole, forsitan anno 1021, teste *Albino* in *Chronico Misnensi*, Tit. X, p. 123. defuncti, utramque nimirum in *Lusatia Inferiori* et inter *Salam* et *Albin* accepit, vid. *Append. Chron. Mont. Seren.* p. 202. sed etiam Patri *Tiderico* anno 1234. in Marchionatu *Superioris Lusatiae* successit. Quum enim *Dedo* noster in terra sua hæreditaria, in Comitatus et proprietatus Patris sui suos fratres coheredes habuit, Marchiam vero *Milzaviam* in Superiori Lusatia omnino usque ad annum 1075. quo mortuus est, administravit, nec aliunde penes ullum patet, quomodo istam consequutus sit, sequitur inde, ut per dignitatem honoris, in qua Patris successor factus est, Marchia nostra intelligenda sit. Vid. *Annal. Hildes.* ad annum 1034. apud *Leibnitium* T. I. Anno 1073. *Dedo* noster eum titulo Marchionis adscriptus legitur in Privilegio *Monasterii Gozezensis*, fratres autem ejus ibidem pariter testes dicuntur *Comites de Brene, Gero.* et sine dubio perperam scriptus *Vemo*, quum potius *Thimo* sit, primus Marchio hæreditarius anno 1089. vel 1090 in *Misnia* factus. Vid. *Chron. Gozezens.* p. 201. edit. *Mader.*

Odam, matrem *Wilhelmi* et *Otonis*, Comitum de *Orlamunde* et Marchionum in *Misnia* et *Thuringia*, sicque viduam *Wilhelmi*, Comitum *Orlamundani* et *Vinariensis*, vid. *Annal. Hildesheimens.* ad annum 1034. *Ditmari* autem Marchionis in Lusatia Inferiori filiam et *Hudonis*, qui parentis in Marchionatu *Lusatia Inferioris* et inter *Salem* et *Albin* successor fuit, sororem, primam uxorem, vid. *Append. Chron. Mont. Seren.* p. 202, et deinde prope jam senex et ætate gravis anno 1069. *Adela*, quæ etiam *Adelheit* aliquando nominatur et nata fuit de *Brabantia* ex castello, quod dicitur *Lovene*, et quæ fratres habuit *Henricum* Comitem et *Reiderum*, *Otonis* autem jam nominati Marchionis in *Misnia* et *Thuringia*, privigni sui, qui jam tertio prius anno 1067. morte defunctus erat, vid. *Lomb. ad.* h. a. cui genuit tres filias, 1) *Odam*, uxorem *Ecbarti II.* Marchionis in *Misnia* 2) *Canigundam*, uxorem a) *Demetrii*, Regis *Ruzenorum*, 1075. b) *Cunonis*, Comitum in *Beichlingen* circiter anno 1079. et c) *Wiperti* Senioris de *Groitz*, anno 1110. nec non 3) *Adelheit*, uxorem *Alberti*, Comitum de *Ballensted*, vid. *Kreysfisse Deytrage zur Sächsl. Geschichte, Part. II.* p. 336. vidua derelicta, alteram suam uxorem duxit, vid. *Append. Chron. Mont. Seren.* p. 203. et *Lamb. ad an.* 1059. Quæ quidem *Adela* inquit et ultra sortem temeraria mulier fuit. Licet enim *Dedo* placido et jam per ætatem mansuetato etiam forsitan ingenio fuerit, tamen hæc sevissima uxor juveniles illi animos inspirabat, ut *Otonis* sui defuncti, multa prædia, quæ illo *Otto*, præter Marchiam, Comitatum suum suasque multas proprietates a diversis dominis, Episcopis sci-

licet, Abbatibus et multis aliis beneficii loco habuerat, ipsi et sibi propter has nuptias suas cum Vidua defuncti omni vi niteretur acquirere. *Otto* enim Marchio, cui *Adela* primum nupta fuerat, dives fuit homo et magna opulencia, et qui Comitatum suum prope *Schroebitz* et *Ofstium* situm habuit, vid. *Schaetgenii Diplom. Tschl. P. II. p. 234.* Quum autem nemo Feudi Dominus *Dedoni*, quae bona beneficiaria *Otonis* Marchionis postulabat, daret et *Dedo*, hanc indignitatem non ferens, crederet, quod per Imperatorem potissimum stare, ne darentur, ab uxore autem, quae mariti praefuncti sui donationes et praedia, quum tamen haereditum non habuit, praefunderet, saepius obtunderetur, ut, si vir esset, non inultus injurias acciperet, nec priori marito ejus audacia se impare gereret, quo et virtute et opulencia superior esset, Imperatori tandem bellum parabat et ad furorem sic incitatus crebris colloquiis *Thuringiorum*, quorum animos Imperator tunc ob decimas Archi-Episcopo *Moguntino* concessas multum a se avertisset, novarum rerum tunc cupidissimos ad rebellionis societatem sollicitabat. Vid. *Lamb. ad an. 1069.* Licet autem *Dedi* non sine Saxoniarum Principum consilio istam suam tyrannidem in partes Imperatoris ordiretur, ista tamen infelicitate rerum in hoc bello utebatur, ut tandem animadvertens, quod nullo loco vel munitione sustineri posset hostilis impetus, scilicet castellis suis *Bichlingen* et *Schidingen* ab Imperatore destructis, incita spe resistendi eodem anno 1069, quo in *Casarem* exarserat, motus suos sedaret et se suaque omnia Imperatori *Henrico IV.* dederet. In custodia autem aliquamdiu habitus tandem, adempta quidem possessionum et redditum, qui nunc Lusitici vel etiam proprietates fuerint, certo jam definire non licet, non modica parte, dimissus est. Vid. *Chron. Abbat. Vrfberg. p. 233.* et *Lamb. ad ann. 1069.* ubi *Dedo* noster generaliori denominatione *Marchio Saxonicus* dicitur. Hic autem communis est error et profus omnium, quod *Dedonem* nostrum inter *Marchiones Misniae* numeraverint, cujus erroris origo forsitan posita fuerit in his rebus bellicosis, quas instinctu uxoris suae *Adela* in *Misnia* *Dedo* motus est.

Et quum nulla calamitas sola esse solet, sic etiam *Dedoni* nostro contigerit, ut praeter captivitatem hoc eodem anno filium, cognomine etiam *Dedonem*, qui ipsi ex prima uxore, *Oda*, natus et *Dedo* junior nominatus est, Imperatori additum sibi autem in hoc bello adversarium experiretur. Inestus enim hic *Dedo* junior acerbusque, quam alius quispiam, ambitionis spiritu et praepropera cupidine dominandi incitatus patrem infectus est. Vid. *Lamb. ibid.* qui de hoc *Dedone* juniore insimul notavit, quod hunc ipsum gladium gessit, quo famosissimus quondam Rex Hunnorum, *Astila*, in necem Christianorum debauchatus fuerat.

Anno 1071. *Dedo* noster Comitum, *Misniae* coactis ad tollendas controversias *Boleslai* Bohemiae et *Vradislai* Poloniae Ducis, juxta cum aliis Imperii Principibus interfuit. Vid. *Fabric. in Annal. Urbis Misniae, Lib. I. p. 27.* Quum autem anno 1073. suspicio de libertate Saxonum opprimenda ad vehementer multos, ob habitum *Henrici IV. Imperatoris* cum *Danorum Rege* colloquium, paulatim manare coepisset, qua proceres eandem *Saxonici* ad conjurationem adversus Imperatorem compelli sunt, *Dedo* noster primam quidem animos illorum sapientissime mitigavit bonis verbis, et tamen postea, commotus haud dubie uxore sua, *Adela*, quae omni Marchione, quo eloquio quidem ipsam mastravit *Lambertus*, animosior et implacitior erit, ipse etiam inter conjuratos fuit. Vid. *Lamb. ad annum 1073.* Interea tamen post colloquium *Gersfungen* habitum anno 1075. gratiae Imperatoris restitutus est, in cuius documentum *Rurénorum Regem, Demetrium*, qui Marchionis nostri *Dedoni* ductu *Moguntiam* advenerat, ab Imperatore retentum, donec legati in *Rustiam* de hoc *Demetrio* cognoscendo destinati revertentur, *Dedo* noster, ab Imperatore sibi in custodiam commissum, servandum accepit. Vid. *Lamb. ad annum 1075.* Et sic *Dedo* noster suam Marchiam administravit, donec tandem longa aegritudine et senectute absentibus, non autem in exilio ut *Albinus* in *Rebus Suis Misniae* asserit, anno 1075. mortuus est. Vid. *Lamb. ad annum 1075.*

Quamvis autem *Dedo* post pacem recuperatam in *Gersfungen* Imperatori et Imperio debitam fidem et intemeratam semper servaverit, et vidua ejus filium suum ex se et ex *Dedone* suo, qui quidem haereditaria veluti successione Marchia debebatur, Imperatori paulo ante obitum misisset, tamen Imperator Marchiam nostram *Superioris Lusitaniae*, exclusis filiis *Dedonis, Vradislao*, Duci *Boemiae* concessit, vid. *Lamb. ad annum 1075.* ita ut haec tunc periculis celeret et inopinatas mutationes Marchiae nostrae, quae deinde anno 1086 in consilio Principum apud *Moguntiam* Bohemorum imperio ab Imperatore ipso adjecta est, tandem attulerit. Vid. *Langii Chron. Citrensis, p. m. 778.*

Quis praeterea filiorum *Dedonis* fuerit, quem *Adela* ex se natum Imperatori paulo ante pro se obitum miserat, non quidem habeo dicere, illud certissime autem quod hic filius obles, tenere tunc aetatis et longe adhuc infra pubertatis annos puerulus, quum in munitione ejusdam *Eberhardi*, ministri Imperatoris, cum *Otonis*, Marchionis, filio, patre adhuc puero, custodiretur, ex custodia *Moguntiam* salvus evasit et sic magnum quoddam, et posterorum etiam memoria dignum, nobilissimae indolis documentum eddidit. Vid. *Lamb. p. m. 242.*


Liberos genuit *Dedo* noster et quidem ex uxore prima, *Oda*, a) *Dedonem*, qui, patrem infectus uti supra dictum est, bello exacto ingenti quidem gloria esse cepit apud Imperatorem, egregie indolis adolescens, non autem multo post, cum nocte quadam ad necessitatem naturae secessisset, appposito extrinsecus insidiatore confossus in ingvine et haud dubie noverex, videns, quam inimice pa-

tri et marito suo filii partes essent et quanto studio multorum jam potens filius se attolleret, dolo, quifal-
tem vulgi sermo fuit, occisus est. *Vid. Lamb. ad annum 1069.* qui tamen *Lambectus* de hoc *Dedo*
re Juniore non admodum honorifice sensit, scribens: *illud haud dubie liquet, monasteria et ec-*
clesias, moriente eo magna forvidine exoneratas esse, cum mentibus omnium certissima opinio insedisset, e-
um augendarum opum studio non Deo, non homini parititurum, qui patri proprio non peperisset; e-
Adelheidam, quae nupsit Ernesto, Marchioni de Bavaris genuitque ei Luppoldum, Marchio-
nem; et c) Agnetem, quae nupsit Friderico, Comiti, et quidem Palatino, Comiti autem in Goseck
et Marburg, vid. Mench. S. R. G. T. II, p. 1460. peperitque ei Adelbertum, Archi-Episcopum,
Dredonem et Fridericum, Palatinos Comites, nec non filiam, Odam, quam Adelbertus quidam nobis,
cognominatus Sevohe de Summerseburg, duxit uxorem genuitque ex ea Fridericum, Comitem
Palatinum, seniore. Ex uxore autem secunda, Adela, quae post mortem ejus Caenobii Aldes-
densis fundatrix facta est, vid. Areyi. Depräge, sur Sächs. Historie P. II, p. 341, Dedo noster genu-
it a) Henricum, Marchionem de Heburg et b) Conradum, Comitem, qui a paganis occisus est, vid. Chro-
nicon. Mont. Seren. p. 202. et 203. Forfitan hic Henricus ille fuit, qui post mortem patris,
Imperatoris a matre obses datus est, quum tunc annum etatis sextum ageret, et
quem tunc adhuc puerum Imperator Henricus IV. Marchia in Lusatia Superie-
ri, quae Duci Bohemico tradebatur, privaverat, ipsi tamen Marchiam inter Salam et Al-
bim possidendam reliquerat, qui etiam propterea anno 1085. Henricus Marchio scriptus legitur, vid. Chro-
nicon Gosezensis p. 218. et 245. Sicque sine dubio hic postea ille Henricus Senior fuit, qui Thi-
moni, praeco Marchioni hereditario in Marchia Misnensi post mortem ejus circiter anno 1090. liqui-
dem Thimo anno 1098. adhuc in vivis erat et filium illum Conradum, quae deinde Marchio in nostra Misnia
factus et Conradus Magnus dictus est, gignebat, proprio forfitan ausu, quum proximus Thimoni
cognatus esset, et illis temporibus, quae multum turbulenta erant, successisset, quoniam tunc filii Thi-
monis adhuc impuberes erant, hic Henricus autem jam annum vigesimum agere coeperat. Uxorem ha-
buit hic Henricus Gertrudem, quae erat de Brunsvico et genuit ex eo, anno scilicet 1107. posthumum, i-
ta ut jam anno 1106 hic Henricus Senior vita defunctus sit, filium scilicet Henricum juniorem de
Heburg, Marchionem. Vid. Append. Chron. Mont. Seren. p. 203. qui quidem Henricus junior post
patrem suum Marchiam Misnensem pariter, non tamen sine contradictione Conradi, post id tempus
cognomine Magi, tunc autem Marchiam suam Misnensem, a patre scilicet Thimone hereditate acceptam,
hereditatis jure postulantis, id quod satis notum est, usurpare ausus est et mortem tandem anno 1127.
in celibatu obiit.

Hec sunt pauca illa ex fide historica de *Dedone*, Marchione tertio nondum hereditario in *Superiori*
Lusatia, quantum monumenta hinc inde colligere potui. Quae licet nonnullis forfitan levia et fat ex-
tra videantur, tamen ad historiam medi aevi omnino multum conferent.

Nunc autem ad id accedo, cuius gratia hanc descriptionem jam edere volui. Rursus ordo Collegii
nostri me ad memoriam *Filysris I Cui ac Domini Augusti Justii, Cancellarii olim Merseburgensis* gra-
vissimi, renovandam hoc anno vocat. Dicam autem in mea Oratione de *Apibus deque cultura mellificii*
apud antiquos.

Rogo igitur et oro, ut *Magnificus et Amplissimus Senatus, verbi divini Administri, et Viri omnes*
alii, qui doctrina in urbe nostra inclarescunt, Patroni, Fautores et Amici, quum Divi Cancellarii ma-
nibus foveant, praesentia sua hanc solemnitatem cohonestare et benevolae suae audientiae meam in dicendo
operam adjuvare velint. P. P. Domini, III, Trinit, MDCCLXIII.



b. 1. 20.

Vk
1770

A D
 ORATIONEM ANNIVERSARIAM,
 IN
 MEMORIAM
 ILLUSTRIS ATQUE EXCELLENTISSIMI
 DOMINI
 AVGVSTI IVSTI,

CANCELLARII

MERSEBVRGICI QUONDAM GRAVISSIMI

SPLENDISSIMI

IE MARTIS D. XXI. JUN. MDCCLXIX.

HOR. VIII. MATUT. AB SE HABENDAM

ISSIME ET HUMANISSIME INVITAT,

SIMULQUE

DE

ERTIO MARCHIONE NONDUM

ARIO IN LUSATIA SUPERIORI

EXPONIT

AM DANIEL RICHTERVS.

Gymnaſ. Direct.



BIBLIOTHECA
 PONICKAVIANA

UNIVERSITÄT HALLER
 HALLER
 (GALLE)

ITTAVIAE LITTERIS KÜHNIL.

